

4^o Est facultas quam *nemini absque aliqua injuria violare licet*; secus facultas illa foret inutilis.

5^o Est facultas *legitima*, id est, secundum legem.

2. Jus, objective sumptum, dividitur in naturale et positivum. Jus naturale est "ordinatio rationis per sapientiam divinam facta et per lumen rationis a Deo omnibus manifestata, precipiens ea quae sunt rationi consentanea, contraria prohibens, permittens indifferentia." Schmalzgrueber, diss. proem. num. 54.

Jus naturale complectitur omnia praecepta moralia quae evidentem habent bonitatem, ita ut opposita moralem inordinationem ad regulam morum, seu malitiam evidentem contineant.

Jus positivum est illud quod pendet a libera voluntate superioris, scilicet Dei et hominis: unde est *positivum divinum* vel *positivum humanum*.

Jus divinum positivum est illud quod Deus statuit et per se vel per suos ministros promulgavit; subdividitur in *jus divinum vetus et novum*.

Jus positivum humanum est illud quod homines, a Deo accepta potestate, condiderunt et promulgarunt; subdividitur in *jus civile* et in *jus ecclesiasticum* seu *canonicum*, prout a societate civili vel ecclesiastica originem ducit.

3. Jus canonicum definitur: "Complexio legum quas Ecclesiastica potestas proposuit, constituit aut approbavit ad bonum societatis spiritualis regimen." Praelectiones Juris Can. Sti. Sulpicii, vol. I, n. 2.

Dicitur a) *complexio legum*, i. e. codex legum;

b) *quas Ecclesiastica potestas*: hoc omnino necessarium est, ita ut lex inter canones sacros non recenseatur, nisi ab ecclesiastica auctoritate procedat; unde quicquid principes saeculares statuerunt, remanet intra limites juris civilis quoa-